Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

34. De miraculis ad sepulchrum S. Euphemiæ, & oleo in vrna eius mirifico & ἁλεξιφαρμάχω, odoreq[ue] ad monumentum eius suauissimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52445

Visual Library

gloriosè & magnificè celebraſti, quandoquidem conuenit omnis honor & adoratio æterno patri, cognato filio, & eiuſdem ſubſtantiæ participi ſpiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Nicephorus Calliſtus Eccleſ. hiſt. lib. 15. cap. 3. De miraculis ad ſepulchrum S. Euphemiæ, & oleo in vrna eius mirifico & ἀλεξιφαρμάκω odoreq; ad monumentum eius ſuauiſſimo.

CAP. XXXIIII.

Nicephorus cùm libr. 15. cap. 3. magnificentiam & amœnitatem baſilicę in honorem S. Euphemiæ martyris apud Chalcedonem erectæ diligenter expoſuiſſet, mox ſubiungit. Cæterùm quæ olim ſemper martyr iſtic ediderit miracula, Chriſtianis omnibus conſtat. Loci namque eius perſæpe Epiſcopum, in ſomnis ſeſe ei exhibens, aut alium etiam quempiam præclarè vitam agētem, obiter templum eius ingreſſum, vt miraculorum talium fructum perciperent, eſt cohortata. Quod vbi in vrbe Conſtantinopolitana innotuit, vniuerſæ eò populi turbæ ſunt profectæ: ipſe etiam Imperator, & qui ſacras Eccleſiarum habenas regunt, quique honores & magiſtratos alios in republica gerunt, vt quæ ibi peragerentur, viderent. Atque etiam inſpectantibus omnibus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus cum ſacerdotibus ſuis templum id, vbi martyris eius corpus repoſitum eſt, viſit.

Structura baſilicæ D. Euphemiæ magnifica.

In

In tumuli læuo latere feneſtella quædam admiranda eſt, operculo quàm maximè obſfirmata, per quod ferramentum longiuſculum, cui in extrema parte ſpongia alligata eſſet, immittebant, ſpongiam quæ ipſam in ſacroſanctis martyris reliquijs obuolutam, ſanguinéque & guttis cruore illius delibutis refertam, extrahebát. Hanc vbi plebs conſpexit, homines ſtatim in terram inclinati, vociferatione maxima Deum honorabant, miraculóque eo ſtupefacti manus ſuſtollebant. Tantus autem inde profluxit vbertim humor, vt non ſolum Imperatores & Epiſcopi, populuſque qui ibi congregari ſolitus erat, affatim perfruerentur, verumetiam quocumque quiuis vellet locorum de eo aliquid ſecum auferret. Neque guttæ tempore ipſo defecêre, neque diuinus ille ſanguis aliqua ex parte mutatus eſt, ſed ut ſemper colorem ſuum ſumme rubrum conſeruauit. Facta hæc non certo aliquo temporis curriculo, ſed pro eo atque Epiſcopi ipſius vitæ morumque ſanctitas ferret. Sic enim fertur, quum is qui Eccleſiam gubernaret, præclarè viueret, & virtute exornatus eſſet, frequentius miraculum hoc exhibitum fuiſſe. Quum autem antiſtes ſacrorum talis non eſſet, rarius eam rem tam admirandam, nec tam facilè à martyre proceſsiſſe. Hoc ſic factum eſſe noui. Cæterùm quod neque dies neque tempus vllum intercipit, ſed perpetuò omnibus fidelibus ſimul & infidelibus affluit & ac-

Epiſcopi ſanctitas quantū poßit.

Odor ad monumentū eiuſdem multò optimus.

cedit,

dit,id nunc dicam. Si quis in ſacrarium id,
tumulus & ſanctæ martyris reliquiæ per-
de atq; theſaurus nunc repoſitę ſunt, veniat,
hic immenſus & naturæ captum, odoreſque
mnes, quos ars humana conficit, ſupergredi-
ens, ad eum perfertur. Eum ſiquidem qui ex
prato verſicolore colligitur, longè ſuperat:
neque alicui eorum ſimilis eſt, qui ex beneo-
lentiſſimis rebus profluit. Tum autem neque
ei par eſt, quem vnguentarius odoribus ſuaui-
bus ad certum modum temperatis miſcet: ve-
rum multis modis, qui inde redditur præſtan-
tior eſt, vim & poteſtatem eius à qua redũdat,
declarans.

Helinandus in hiſtoria martyrij S. Gereonis & aliorum Thebæorum martyrum quæ habetur in tom. Lauren. Surij 10. Octobr. De S. Euergiſlo Epiſcopo Colonien. qui accedens ad memoriam S. Gereonis, & ſociorum eius, dolore capitis liberatus eſt.

CAP. XXXV.

SAnctus Maternus Treuirorum Epiſcopus
Agrippinæ Coloniæ Eccleſiam primus pa
ſtor dignis gubernaculis rexit, cuius vi-
tam multis claruiſſe virtutibus, geſtorum eius
ſcripta commemorant. Huius ſedis antiſtes
nobis cognitorum tertius S. Seuerini Confeſ-
ſoris Christi ſucceſſor, nomine Euergiſlus,
quadam die dum capitis dolore nimium cru-
ciatus, ad memoriam beatorum martyrum Ge
reonis & ſociorum eius oratum accederet, &

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN